1227 22/1 Convent of Gdańsk (prov. Polonia)

Duke Świętopełk of Pomerania donates the Church of St. Nicholas in Gdańsk to the Friars Preachers. The chaplain Wilhelm, who has served in the church until now, is promised "an equally good or even better church".

Source: Transcript (15th cent.), possibly a forgery. State Archives in Gdańsk.

> In nomine sancte et individue trinitatis. Ego Swantopolkus dux Pomeranie tam presentibus quam futuris presens scriptum inspecturis insinuandum dignum duxi, quod pauperum Christi videlicet fratrum ordinis predicatorum sancte devotioni et toti mundo eorum religioni pernecessarie paterna sollicitudine in terra mea providere cupiens ad consilium venerabilis patris nostri domini M*ichaelis* Cuyaviensis episcopi et multorum proborum virorum ecclesiam beati Nicolai in Gdancz, quam capellanus meus dominus Wilhelmus pro commutatione eque bona vel meliori tam devote quam libere atque liberaliter resignavit, absque conditionibus liberam et secundum ordinem eorum liberatam et expeditam cum omnibus oblationibus et sepultura gratanti animo in remmissionem peccatorum meorum conferre curavi in perpetuum possidendam. Ut itaque tam legitimum factum ratum perduret et inconwulsum, presenti pagine curavi firmamentum adhibere atque sigilli mei testimoniique munimine roborare. Quisquis igitur ansu temerario vel invidie stimulis agitatus huic nostre donationi seu confirmationi aliquatenus contraire attemptaverit, Dei omnipotentis indignatione et anathematis gladio domini pape, sub cuius protectione me pono et fratres supradictos et locum, quem eis contuli pono, se noverit esse plectendum. Testes autem sunt: dominus Gotfridus canonicus de castro, magister Evrardus, magister Johannes phisicus, Gerwinus magister puerorum, dominus Johannes Golyas, magister Johannes notarius ducis, comes Unceslaus, comes Gnewomirus, comes Wenczeslaus subdapifer, Stephanus tribunus, Jacobus thesaurarius, Hermannus sapiens, Andreas scultetus, Albertus et alii quam plures, quia eorum omni populo meo ecclesiam predictam contuli eis. Acta sunt hec anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo vicesimo VII in die beati Vincentii martiris et levite.

Published: *Pommerellisches Urkundenbuch* no. 34.